



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 27. Ejusdem Pontificis indoles & gesta in Pontificatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII. tum est, ubi post sacrum funebre a
 A. C. 1721. Nicolaio supremo Eleemosynario Pon-
 tificio peractum in Sacello SS. Sacra-
 menti in solempni feretro exponebatur.
 Ejus laudes nitidissima oratione Vin-
 centius Lucchesinus Abbas vir pietate,
 doctrina, editisque eruditissimis libris
 inclytus celebrabat: Nec tamen Romæ
 siluerunt mordaces linguæ ac calami:
 quidam enim Pasquino hoc affixit epi-
 taphium: *Hic jacet Unigenitus cum Pa-
 tre*, alius ad fores Paoli Medici Pontificii
 hæc verba adscripsit: *Liberatori Urbis &
 Orbis.*

§. XXVII.

*Ejusdem Pontificis indoles & gesta
in Pontificatu.*

*Hist. Univ.
t. 8. p. 856.
Noviss. rel.
Curie Rom.
p. 46. & seq.*

Dum memorandis tanti Pontificis me-
 ritis animum adjicio, vincit vir-
 tutum copia sermonem, scientiæ uber-
 tas calamum, & rite gestorum narratio
 fidem. Erat Clemens paucis maximi
 nominis Pontificibus ni æqualis, saltem
 parum inferior, & quamplurimis pie-
 tate, & virtutum decore superior, de
 Ecclesia, & Republica Christiana adeo
 bene meritus, morumque integritate
 tam insignis, ut oculatissimi quique Argi
 ac Censores non haberent, quod spe-
 ctata sui ævi iniquitate merito repre-
 hende-

henderent, summo Pontificatu eo dignior, quo ceteris indignior sibi metipsum visus. Eminuit indefesso dilatandæ Religionis fervore. quo incitatus, ut Dei cultum Sinensium superstitione adulteratum suæ puritati restitueret, primo Cardinalem Tournonium, unacum viginti quatuor Missionariis Doctoribus & novissime Mediobarbum Patriarcham ad hoc Imperium maximis impensis ablegavit, editaque Bulla, quæ incipit: *Ex illa die* ritus idololatricos proscripsit. Pariter ad extirpandos Quesnelli errores Constitutionem *Unigenitus* edidit, ex qua tamen non Pontificis, sed refractariorum culpa graviores motus nequidem in hanc usque diem penitus compositi oriebantur. Ipsa etiam Pontificatus sui auspicia editis præclaris Religionis pietatisque exemplis nobilitavit; celebriora Urbis Tempia sæpissime invisit, publicas supplicationes pedibus ac sine omni pompa obivit. Nosocomia lustratus, in Xenodochio SS. Triadis pedes Peregrinantium lavit, eosque effusis jovit eleemosynis, ac morientibus egenis ipse Sacramenta ministravit; sæpe etiam ac præsertim sacris majoris hebdomadæ diebus quorumcunque confessiones excepit, eisque Sacram Synaxin distribuit. Catholicos in Armenia, Thracia, & Syria

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

Sæc. XVIII. a Mahometanis crudeliter vexatos, &
A. C. 1721. Missionarios a sui ministerii usu exclusos
 beneficiis juvit, eisque interposita Prin-
 cipum auctoritate fidei profitendæ li-
 bertatem restituit. Novos etiam Mis-
 sionarios ex Ordine PP. Carmelitarum
 Discalceatorum in Persidem misit; ac
 Petro Magno Moscoviæ Duci unionem
 Catholicæ cum Græca Ecclesia arden-
 tissime commendans ad eundem præ-
 ter Bianchinum celeberrimum Mathe-
 maticum, duos Præfules, & viginti qua-
 tuor Evangelicæ legis Præcones ab-
 legare constituit. Petente etiam Joanne
 Abyssinensi Sacerdote & Patre Josepho
 Adriani Seghed Æthiopiæ Regis le-
 gato plures Missionarios eo decernebat,
 & sex nobiles juvenes Æthiopes, qui
 hunc Legatum comitabantur, in Colle-
 gio *de propaganda fide* Christianis præ-
 ceptis imbui, & Pontificis nomine,
 Hannibale Albano Patrini vices ob-
 eunte, sacris undis ablui voluit, eos-
 que amplis muneribus auctos remisit,
 simulque Abbatem Nicolai tanquam
 Vicarium Apostolicum in Æthiopiam
 mittere decrevit, necnon Maronitas
 a finitimis Ecclesiæ hostibus oppressos
 potenter sublevavit: Edoctus per Fran-
 ciscum Ticinensem Episcopum ex Africa
 reducem, quod sub Petri Regis Congi
 & Mariæ Reginæ patrocínio religio
 Catho-

Catholica in illo Regno, aliisque fini- Sæc. XVIII.
 timis magna caperet incrementa, hos A. C. 1721.
 Principes paternis literis ad Ca-
 tholicæ fidei propagandæ studium ma-
 gis incendit, auctoque Missionariorum
 numero pretiosa dona Sacra præfato
 Regi submitit & Patriarcham Alexan-
 drinum schismaticum Samuelem Cap-
 salem Ecclesiæ reconciliavit. Quanta
 sollicitudine Antonium Udalicum
 Brunsvico - Luneburgicum Ducem, &
 Fridericum Saxonix Electorem ab er-
 rore ad veritatem reduci, atque in eo-
 rum ditionibus religionem Catholicam
 invehi adlaborarit, jam supra memo-
 ravimus.

Haud segniori conservandæ Disci-
 plinæ atque immunitatis Ecclesiasticæ
 Zelo fervebat Pontifex; Hanc in rem
 quamplurima, eaque ad eliminandas
 morum corruptelas saluberrima edidit
 decreta. Primo quidem asylorum
 abusum sustulit, Regumque Oratores
 commonuit, ne in hoc officii munere
 deficerent, satellitibusque Romanis,
 ut flagitiosos infettarentur, Cardina-
 lium, Principum atque Oratorum ædes
 ingrediendi libertatem dedit. In Pon-
 tificio Palatio nihil intemperans, nil
 rationi aut modestiæ dissonum irrepere
 permisit, ipsemet aliis suo exemplo
 prælucens in familiarium suorum mo-
 res

Sæc. XVIII. res inquisivit, eosque ad rectam vi-
 A. C. 1721 vendi normam conduxit. Insuper bac-
 chationes ludosque comicos ante pri-
 vium carnis solitos inhibuit, & col-
 lapsam quorundam Regularium disci-
 plinam ad vetera instituta revocavit,
 Ecclesiasticos in tabernis, ubi potus *Cass*
 venditur vel luditur, recipi prohibuit
 ac Monialibus, ne diebus festivis mo-
 dulate præsentibus Nobilibus Viris ca-
 nerent, inhibuit, præcepitque, ut deinceps in publicis supplicationibus Viri
 a foeminis segregati incederent, & fo-
 minæ Nobiles in vestitu modestiæ stu-
 derent, nullaque foemina excepta An-
 gliæ Regina, locum, in quo Cardina-
 les orare solent, occuparet: Præterea
 asyli beneficium duntaxat ad eos, qui
 casu ac fortuito quempiam occidunt,
 extendit, præmeditati autem homi-
 cidii, aliorumque criminum rei a laico
 Judice a Templis extrahendos decla-
 ravit. Insuper conservandæ Immuni-
 tatis Ecclesiasticæ tenacissimus illos,
 qui Principem della Riccia ad Tem-
 plum profugum inde Cajetani Ducis
 jussu violenter extraxerant, diris devo-
 vit. Eadem quoque severitate immuni-
 tatem ac jurisdictionem Ecclesiasticam
 a Siciliae Regis, & Ducis Sabaudi Mi-
 nistris ac Lotharingico Codice viola-
 tam vindicavit: promeritis autem præ-
 miis

miis auxit strenuos libertatis Ecclesia-Sæc. XVIII.
 sticæ vindices, atque inter eos Cano- A C. 1721.
 nicum Majolum primi Sacellani digni-
 tate & Mauritium a S. Theresia Epi-
 scopatu, Fontaninum Patavina Ab-
 batia, & Barriensem Archiepiscopum
 Constantinopolitano Patriarchatu, con-
 decoravit, eoquod Pontificis & Eccle-
 siæ jura solido non minus atque eru-
 dito calamo tutati fuissent: Inter alia
 tamen oppido mirum erat, quod Cle-
 mens, quamvis jurium suorum, ac
 Religionis tuendæ caussa cum poten-
 tissimis Principibus sæpissime collidere-
 tur, inimicus tamen caussæ, atque a-
 micus Personæ eorundem Principum
 existimationem, venerationemque ma-
 ximam semper illæsam servavit; ea
 nempe pollebat dexteritate, ut solii
 sui Majestatem cum Patris amore con-
 jungere posset; sola etiam præsentia
 sua Principum reverentiam & populi
 affectum sibi conciliabat, nullique de-
 erat comitatis & benevolentix officio,
 quo non modo Catholicos, sed etiam
 Protestantes Principes prosequeretur:
 Eapropter Hi ipsimet in gravissimis bel-
 lis, ac dissidiis hujus Pontificis ope-
 ram, & sequestram pacis curam aut
 implorabant, aut ultro admittebant.
 Poloniæ Regem Augustum contra æ-
 mulum suum, & rebelles subditos po-
 tenter

Sæc. XVIII. tenter protexit. Venetis, ac Cæsareis
 A. C. 1721. Turcico bello pressis necnon Catholicis
 Toggenburgensibus ope & consilio ad-
 fuit, Jacobum III. Britannicæ Regem
 successionis jure exclusum non modo
 fuis ad Deum precibus, sed magno
 ære adjuvit, ac paucis ante obitum
 suum diebus eidem Regi Romæ Pala-
 tium ad S. Apostolos in Albano dona-
 vit, eumque Cardinalibus commen-
 dans petiit, ut idem palatium Jacobo
 in perpetuum relinqueretur, & ad tue-
 dam Regis dignitatem congrui reditus
 tamdiu persolverentur, donec Regnum
 suum recuperaturus esset, ac denique
 Successor Pontifex eum contra suos
 hostes totis viribus defendere teneretur.
 Nullum etiam paterni affectus
 officium prætermisit ad propulsandas
 calamitates, quibus tam ejus subditi,
 quam alienigenæ quandoque preme-
 bantur; præterquam enim, quod quarto
 Pontificatus anno per publicum edictum
 denuntiaret, cuicumque aut diviti aut
 pauperi, Nobili aut plebæio prima cu-
 jusvis Mensis feria secunda suas neces-
 sitates vel ore vel scriptotenus Eidem
 exponere, integrum esse, insuper æ-
 rario Pontificio per Italicum bellum li-
 cet exhausto, subditos tamen suos no-
 vis tributis onerari haud patiebatur,
 sed potius a Genuensibus aliisque pe-
 cunias

cunias mutuo accipi præcipiebat, Romanas omnesque Pontificias ditiones Sæc. XVIII.
A. C. 1721.
horrifico terræ motu, Tiberis alluvione, fame, aliisque miseriis pressas, necnon Massilienses peste & inedia pene consumptos missis aliquot nummorum millibus, & annona, aliisque subsidiis larga manu erogatis sublevavit, eoque anno, quo Romana Urbs fame laborabat, suis impensis octo egenorum ad Urbem undique confluentium millia sustentavit, tam pie in pauperes prodigus, ut secretis ejus eleemosynis sexcentæ familiæ per plures annos sustentarentur, & post ejus mortem ex ingenti pecuniarum vi ad eleemosynas destinata nonnisi sexaginta scuta superessent.

Erat nihilominus severus justitiæ vindex, & quos summa humanitas non flectebat, pœnarum rigore ad obsequium reducere studuit, & a flagitiosis, ne impunitatis spe scelera licentius grassarentur, severissimas exegit pœnas: Primo Pontificatus sui mense proscriptos, otiosos, nulliusque frugis juvenes custodiæ dari, urbeque expelli jussit, Carandinium Comitem de fide suspectum, sæpiusque frustra monitum plena luce ad Inquisitionis carceres raptari, aliosque complures ad trimes abduci, P. Paulum Diez primum in arce S. Angeli, postea in Monasterio Aræ

*Vid. supra
t. 70. p. 646.*

Sæc. XVIII. Aræ cæli includi, Marchionem Sci-
 A. C. 1721. pionem de S. Cruce, qui Angelum Ba-
 ronem de Cavotti in Urbe occidit,
 proscriptis ejus bonis capite plecti, in
 Georgium Principem Cæsarinum ob
 violenter raptam, ac vulneribus fæ-
 datam cujusdam pictoris filiam judiciæ
 acta instrui, Ovedensem Episcopum in
 Hispaniis de Molinismo convictum,
 eoquod ad Papam appellasset, Romam
 deductum in Arce S. Angeli includi ac
 tertio post anno ejuratis erroribus in
 quodam Monasterio asservari, aliosque
 reos promeritis pœnis coerceri præce-
 pit. Non paucos tamen, qui errorem
 seria pœnitentia correxerunt, ad par-
 cendum propensissimus Clemens in gra-
 tiam recepit.

His animi dotibus merito adjun-
 genda est mira Ejusdem diserte dicendi,
 & solide scribendi facilitas, præstan-
 tia, ac nitor; quantaque in eo vige-
 rit eruditionis ubertas, divinæ unctio-
 nis suavitas, rationum efficacia, &
 copiosa sacrarum literarum, sancto-
 rumque Patrum notitia, testantur ejus
 Homiliæ, epistolæ, orationes Consisto-
 riales, ceteraque omnia ejus opera,
 quæ ex facundissimo ejus ore & cala-
 mo profluxere, & in quibus univèrsis
 maximum Religionis studium elucet,
 æquitas & prudentia cum doctrina
 certare

certare videtur, ac unice dolendum, Sæc. XVIII.
 quod eadem suavitas, orisque Majestas, A.C. 1721.
 qua suos sermones pronuntiavit, literis
 exprimi non potuerit; omnium enim
 suorum affectuum arbiter cuncta, quæ
 a suis Auditoribus legi desiderabat,
 cordis sui verba in ipsis etiam oculis
 suis formare noverat: Tanta insuper
 excelluit conscientiæ teneritudine, ut
 in decernendo tardus, potius aliorum
 iudicium non raro sequeretur & pro-
 priæ suæ sententiæ rectitudini diffi-
 deret, sæpius dicere solitus, quod etsi sa-
 num consilium dandi dono potiretur, il-
 lud tamen sequendi animum non semper
 haberet: in solo mortis suæ momento
 tam immotam, ac heroicam animi con-
 stantiam præferebat, ut ea luculen-
 ter anticipatum virtutis suæ præmium
 fuisse videretur; impendentis enim
 mortis nuntium intrepidus longe ma-
 gis pacato lætoque exceperat animo,
 quam olim obtentæ tiaræ notitiam.
 Erat insuper literatorum, cum ipsemet
 literarum, & antiquitatis scientissimus
 esset, longe amantissimus, utque in
 Urbem novas artes inveheret, egregios
 undequaque opifices accivit, Pictores,
 Sculptores, aliarumque artium peritos
 honoribus auxit, & præmiis, Picto-
 rumque Academiam sæpius lustratus,
 illam Humoristarum per quadraginta
 om-

Sæc. XVII. omnino annos ferme abolitam ad pri-
 A.C. 1721. stinum splendorem reduxit, Vaticanam
 Bibliothecam lectissimis ex Ægypto,
 Syria & alibi conquisitis libris ditavit,
 typographiam in Palatio Vaticano re-
 stauravit, & ad novam Bibliothecarii
 Anastasii editionem Apostolicum in-
 dulsit privilegium. Instituit quoque
 Collegium duodecim Virorum Mathe-
 seos scientia inclytorum, qui Calendarii
 Gregoriani errores emendarent, ac
 propterea cum celeberrimis Europa
 Mathematicis conferrent. His præ-
 fecerat Cardinales Pamphilius, Noris-
 sium, & Ferrarium, necnon Bianchi-
 nium hujus Congregationis Secreta-
 rium, qui Pontificis jussu in PP. Car-
 thusianorum Ecclesia B. V. de Anglis
 lineam meridionalem haud absimilem
 ei, quæ in Bononiensi Templo S. Pe-
 tronii visitur, confecit, ut in ejus
 planitie cursus & declinatio solis,
 ceterorumque cælestium corporum in-
 dicaretur. Insuper Pontifex Latera-
 nensem Ecclesiam impensis vigesies
 mille scutis restauravit, & juxta de-
 lineationem Canonici Testæ marmo-
 reis duodecim Apostolorum statuis e-
 gregio artificio elaboratis ornavit, nec-
 non cultum ac honorem Dei in pluribus
 aliis Templis promovit. In Hospitio
 sancti Michaelis operarios pro con-
 ficiendis

ficiendis aulæis collocavit, in Vaticana Ecclesia Christinæ Sueciæ Reginæ mausolæum ænea ejusdem Principis imagine, Urbinatem Eccliam Altari ex Achate pretiosa, quæ Anno 1704. in Tiberis flumine reperiebatur, confecto exornavit, Columnam Antonini Imp. per Fontanam celeberrimum Architectum die vigesima quinta Februarii anno sequenti erigi, & aquæductus ad Urbem veterem per viginti leucas Italicas protrahi jussit. Denique inter sanctos Pium V. Pontificem, Andream Avellinum, Felicem Cantaliciensem, & Catharinam Bononiensem, & inter Beatos Franciscum de Regis retulit, necnon causam Stanislai Kostkæ, & Hyaciuthæ Marescottæ plurimum promovit: Adscripserat Clemens septuaginta maximi meriti Viros Sacro Cardinalium cætui, duos vero in pectore, ut ajunt, reservatos tenuit, proin numerum sacri Collegii & Discipulorum Christi adimplevit.

Nec tamen talis tantusque Pontifex ab æmulum invidia, atque obtrectantium calumniis falsisque criminationibus post obitum suum intactus remansit; spargebantur in vulgus infames libelli, quorum tamen luculenta falsitate, & aperta convitiandi impudentia hujus Pontificis laudes magis conspicuæ,
Hist. Eccles. Tom. LXXI. H pro-

Sæc. XVIII.
 A. C. 1721.

Sæc. XVIII. probatæque reddebantur, quam facun-
 A. C. 1721. diffimus Orator eas prolixa meritorum
 ac virtutum recensione extollere po-
 tuisset: Carpunt plerique, quod se ma-
 gis Gallicis propensum, Austriacis au-
 tem partibus adversum exhibuerit;
 neutrius quidem parti adhærere Pon-
 tificex, firmum, ratumque habebat, do-
 lendum tamen (prout ipsemet sæpius
 indoluit) quod ejus Pontificatus in
 iniquissimum belli inter Cæsarem &
 Gallo - Hispanos in apertum incen-
 dium erumpentis tempus incidit:
 exulceratis enim ob pristina cum Leo-
 poldo & Josepho Impp. dissidia animis
 accedentibus etiam importunis Gallo-
 Hispanorum Cardinalium instigationi-
 bus, quicquid Pontifex in Philippi V.
 favorem decreverat, in odium Cæsaris
 factum credebatur, in quibus etiam
 spectata temporum necessitate, rerum-
 que vicissitudine ab averse animi culpa
 excusari posset. Accusatur ab aliis, quod
 ultrapræfixos Pontificiæ potestatis limi-
 tes suam in Principes Christianos auctori-
 tatem non sine legitimæ dispendio ex-
 tenderit, ac de propria sua prudentia
 nimium præsumens, pertinacius suo
 inhæserit judicio, verum hæc calum-
 nia ipsius hujus Papæ exemplis, gestis-
 que, quinimo ipsa & alia opposita re-
 fellitur calumina, qua iidem Ecclesiæ
 hostes

hostes Clementem redarguunt, quod Sæc. XVIII. A. C. 1721.
 in decernendis rebus adeo fluctuarit, ut etiam in minimis difficultatibus hæ-
 sitans, quid decerneret, nesciverit, hocque vitium inde ortum traxerit, eoquod nunquam in exteri Principis Aula ultra Alpes Nuntium egisset Apostolicum: Ita nempe non raro improvida calumniandi iniquitas sibimetipsi mentitur, ac repugnat.

§. XXVIII.

Sacra Cardinalium comitia pro eligendo novo Pontifice.

Paulopost obitum Clementis XI. Car- Guarnac. vit. Pontif. t. 2. p. 382. Hist. Univ. t. 8. Perriod. II c. 8. pag. 858.
 dinales habito conventu unanimi suffragio decrevere, Noailium & Alberonium Cardinales ad Sacra hæc comitia missis plenæ securitatis literis esse vocandos; cum igitur sua cuique Cardinali cella in conclavi per sortem designaretur, die vigesima septima Martii, primum nomen, quod sorte educebatur, erat illud Alberonii; cui contigit cella numero trigesima sexta: mox autem nonnulli, quod casus erat, in vaticinium vertere, hujusque Cardinalis, vel alterius Alberonio addicti electionem portendi, eo majori verisimilitudinis specie afferebant, quod Malachiæ symbolum: *de religione bona per anagrama*

H 2